

334.

VII

*VII 334.*



## MAMMONTORUM ROGETI

34.

hoc est

OSSA SUBTERRANEA, FOSSILIA,  
INGENTIA, IGNOTI ANIMALIS, E SI-  
BERIA ADFERRI COEPTA, DUABUS PERILLU-  
STRIUM ATQVE GENEROSISSIMORUM VIRORUM LITE-  
RIS, BREVIQVE COMMENTARIO DILUCIDATA.

## EPISTOLA PRIMA.

UTcunque jam à multis retro annis ossa hæcce fossilia per Russiam innotuerint, & de eorum origine ac natura sententiæ discrepantes circumlatæ fuerint, tamen in hunc usque diem, quod sciam, repertus nemo est, qui operæ pretium duxerit, ut in ea inquireret penitus, scriptoque composito, quidnam illa tandem ipsa essent, indicaret erudito orbi demonstraretque. Quare & mihi jam grave est, hæcce, ut decet, tradere, præcipue cum & destituar iis rebus annotatisque meis, quæ antehac super hocce argumento consignaveram. Quando tamen desiderio teneri quosdam \* videam, rerum harum cognoscendarum, dabo earum descriptionem quam potero genuinam, ad quatuor inprimis capita, quæ dicenda habeo, relaturus.

I. Quæ in hisce ossibus cuique sese spectanda offerunt.

II. Quid de hisce ossibus tradant incolæ earum regionum, ex quibus adferuntur.

III. Quid viris doctis super eadem hac re videatur, & denique

IV. Quid ipse putem expertusque sim.

\* vid. Act. Lit. Syecizæ Trimestr. II. An. 1725.

Ad

WERNERS  
NACHLASS

Ad primum spectant: Ubi & quo modo deprehendantur. Qua magnitudine sint & figura. Quæ consistencia eorum interior. Quomodo inter se differant. Cui denique usui inserviant.

Inveniuntur itaque hæc ossa in Siberiæ frigidioribus provinciis, in Iacutsko, in Beresow, & locis circumjectis; itidem in Jeniseisko, Tomsko, Jututsko aliisque, sed non ea copia ac in prædictis: & inquiri quidem in hæc ossa non potest, sed fortuito solum occurrunt incolis Russis, Paganisque, cum venandi gratia piscandique circumvagantur. Ad fluviorum tamen ripas occurrunt vel in ipsis aquis, vel è terra prominent, communiter in illis locis, ubi a torrentibus aquarum terræ antea ablutæ fuere; certe ad decem orgyas quandoque submersa obrutaque jacuere. Interim non usque adeo rara sunt, quin crediderim, si ex omnibus undique locis collecta, in unum delata essent, quotannis 50 imo vel 100 Put conficerent. Put 40 Russicas, vel 39 Suedicas marcas, pondere æquat.

Magnitudo autem ossium horum discrepat: majora decem pedes longa sunt, & crassioris extremitatis diametrum 9 poll. ferme habent; minora 4 pedd. longitudinem, & latitudinem duorum cum dimidio pollicum, non superant. Figura curva sunt in semicirculum fere flexa, & ad alterum latus detorta, ut bovina cornua esse solent. In extremitate latiore cavitatem habent conicam duos circiter pedes altam: Anterior autem ossis cuspis semper deprehenditur ab uno latere secta quasi & levigata. Grandiora ex hisce ossa 240 libras ponderasse observatum est. Sed integra rarissime ad nos deferuntur. Cum enim in remotis locis, desertis, incultisque ac sylvis obsitis reperiuntur, & ob gravitatem præterea ac figuram inconditam procul deferri nequeant, secari utique in frusta minorâ solent, ac in oppidis vendari.

Substan.

Substantia eorum & consistentia interna non ebore  
deterior est: ejus enim & albedinem habet & soliditatem  
& polituram in operibus recipit. Ubi recentia sunt  
& nulla vitiata putredine, lacteam intus colorem refe-  
runt, exterius vero flavent. Quæ autem a putredine læsa  
sunt alia pallide albicant, alia puniceo colore observan-  
tur vel diluto vel obscuriore. Quod tamen non impedit  
quo minus varia & elegantia opera ab artificibus, nisi ubi  
plane computruerint, inde fabricentur.

Horum itaque constitutio plurimum inter se discrepat.  
Recentia optimum ebur referunt. Semicorrupta sive al-  
bida sive punicea in laminas, quasi philyras, findi possunt.  
Tertium genus quod jam plane computruit, & itidem co-  
lorem retinet partim pallidum partim puniceum, conteri-  
tur manibus in pulverem referentem vel cremorem tar-  
tari vel Farinam fabarum Caffæ.

Ufus autem ossium horum non alius mihi quidem innotu-  
it, quam quotornatores & pectinariii suas inde merces va-  
rias parant. Sed maximam partem ossa hæc non immuta-  
ta in Chinam avari solent. Utrum aliquem in medicina  
habeant usum, non liquet.

Jam autem incolarum hujus regionis de hisce os-  
sibus hæc vetus est traditio & persuasio: nimirum,  
dari animal quoddam ingens, illis Mamont dictum,  
quod sub terra vivat degatque, instructum hisce ossibus du-  
obus, quibus tanquam cornibus mobilibus utatur, viamq;  
sibi paret, ubi aliquo progrediendum est. Esse autem hoc  
animal ejus naturæ, ut in aëre vivere nequeat. Itaque ubi  
contingit illud terras exire & libero cælo exponi, aëris  
haustu interire ac extinguere.

Præterea & id referunt, observatum a quibusdam  
fuisse, terram in cumulos sublatam, cum inferne grassa-  
retur hoc animal fodiendo, eandem rursus subsedisse, cum  
pro-

progredieretur ad anteriora, adeoque tramitem ac fossam quandam in telluris superficie, tanquam vestigium sui subterranei itineris reliquisset.

Nemo interim adhuc est repertus, qui animal integrum vivumque a sese visum esse asserere potuit; retulere tamen quidam reperta & effossa a sese ossa fuisse non recentia modo sed & subcruenta.

Doctorum virorum jam sententias recensebo, quæ utique plurimum a sese invicem distant. Sunt, qui ossa hæc, elephantinos dentes genuinos esse sibi plane persuadent; neque illis ullo modo credibile est ingens aliquod & quale hoc est animal, terris obrutum vivere & incedere posse; præterquam quod ebori ossa hæc per omnia similia sint, non autem cornuum habeant substantiam. Si forte externa hic alicubi ab elephantino dente figura discrepet, id a pondere incumbentis terræ contingere potuisse; & si mineralem quandam interdum naturam induerint osseamque amiserint, id longiori sub terra moræ adscribi debere, qua nativo calore extincto minerale quoddam frigus tandem contraxerint. Sed restat adhuc difficultas præcipua, qua unquam ratione elephantos in ultima Siberiæ loca delatos esse dicatur. Putant alii in diluvio illo universali fieri potuisse, ut inde usque ab India orientali submersa elephantorum cadavera aquarum fluctibus huc tracta fuerint, & subsidentibus postea aquis vel secedente inundatione in limo restiterint, donec superingestis postea lentissime terris obruerentur, in ea re opinionem Cl. Woodwardi aliorumque sequentes.

Id vero qui aspernantur, elephantos hosce cum quodam aliquando exercitu huc deductos fuisse & relictos credunt. Alii denique ut hoc explicent, Cluverii paradoxam hypothesein adducunt, de conversione axeos orbis terrarum, qua contingere debuit ut loca olim præcalida, jam

jam

## OSSA FOSSILIA.

jam positura mutata frigida facta sint, adeoque & Siberiam hodie sub gelida mundi plaga sitam, quos olim indigenas habuit elephantos aluitque, hodie vivos nullos habere, pristinorum interim exuvias adhuc ostentare. Fuisse & alii viri docti, qui hæcce effossa etiam innata telluri sibi persuaderent: neque reliquias esse animalium, sed vegetantis naturæ quendam lusum, ut multa alia in gremio suo in similitudinem variarum regni animalis partium conformantis, ita & hæcce immania subterranea cornua. Alii denique adductis e S. Scriptura testimoniis, & imprimis quæ Hiobi Cap. 40. v. 10. habentur, non aliud aptius animal per *Behemot* Hebræorum intelligi posse docent, idque ipsissimum nostrum Mamont esse. Sed plura hic coacervare nec vacat nec necesse est.

Restat itaque ut quæ sum ipse expertus, utcunque illa sunt exigui momenti, tamen ut promiseram, adducam. Ante omnia itaque ut hæcce mihi vel ossa vel cornua integra compararem, operam dedi, tandemque duo nactus sum labore multo nec pretio minore. Alterum libras 183 ponderabat, quod obtuli humiliter sacræ Cæsareæ Majestati, jamque in Gazophylaceo publico servatur. Alterum dono dedi Academiae nostræ. Aliud vero prædictis hisce longe majus sed dissectum in partes, ipse in opera varia elaboravi: nam & valde recens videbatur nec ulla corruptum vetustate erat. Præterea & ossium horum externam crustam, quæ mineralem quandam sub terris naturam contraxisse videbatur, exploravi, ut docimastæ solent. Non tamen potui deprehendere vel sulphur aliquod vel nitrum vel vitriolum. Quapropter judicavi non mineralem quandam hisce ossibus inseruisse naturam tellurem, sed dissipasse potius quæ antea aderant & plane in caput quoddam mortuum transmutasse. Tandem & post varios conatus, cranii partem nactus sum hu-  
jus

jus animalis sed vetustate corruptum, quod magnitudinem mihi elephantini capitis majoris habere videbatur. Calvaria erat insigni crassitie. Ipsum illud intrinsecum receptaculum cerebri modicum vel exile potius. A latere externo, ubi cornua brutis excrecere solent, aderat quidem & huic ossi tuber quoddam, sed detritum plurimum, adeo ut affirmare certo haud ausim, cornua quædam huic calvariæ unquam adnata fuisse, & non aliam potius hanc tuberositatem esse. Nactus sum & aliud os plane spongiosum, quod judicabam, ex figura sua, insertum fuisse cavitati quam habuerat cornu, quemadmodum & in aliis animalibus cornigeris videmus thecæ exteriori corneæ inhærere ac subesse os quoddam aliud medullæ quasi vel potius stabilimenti loco; longitudinem autem habebat hoc os pedis unius cum dimidio, latitudinem trium pollicum; parti adhærebat etiam calvariæ. Sum & præterea nactus molarem dentem vetustate corruptum, integrum tamen & longitudine 10 pollicum, latitudine 6, ut jam alia reticeam, costarum, femoris, tibiæque ossa. Postea inquisivi in fossas istas, quas sub terra gradiendo hoc animal efficere dicebatur, easque in locis diversis spectavi, mihi que deprehendisse videor ejusnam naturæ sint: nimirum cuniculos & meatus per subterraneos aquarum lapsus excavatos, unde subsidentiæ postea superimpositæ telluris inexpectatæ factæ. Nam in Permia fossam talem explorans deprehendi aquarum torrentem sub monte calcario haud modico deferri; profundius autem manabat, quam ut per funem me demittere auderem; strepitus tamen prolabentis aquæ satis indicabat non mediocrem hic fluvium decurrere. Erat omnino hæc fossa ultra 10 orgyas profunda. Etiam in prædio quod Liber Baro à *Stroganows* possidet, Serga nomine prorumpit e terra ingens fluvius, albidus & foetens aquas

aquas



aquas vehens, ea copia ut molam aquariam quatuor lapidum paribus instructam agitet perenniter, & æqualiter usque adeo, ut nec augeri aquas hæc nec imminui easdem, imo ne verno quidem tempore cum aquæ omnes surgunt, immutari quidquam animadverti potuerit: Contenta hujus aquæ exploravi, sed præter calcem nil quidquam deprehendi. Hæc itaque sunt quæ hæcenus animadvertere potui, in posterum summam operam adhibiturus, in primis ut integrum sceleton nanciscar aut cranium saltem integrum. In quem finem obtinui a Cæsarea Majestate gloriosiss. memoriæ, ut mandaretur Governatori Siberiæ, ut ubicunque spes esset integri nanciscendi sceleti, operæ ac diligentia non parcere-tur, neque expensis, illud ipsum mihi transmittendi.

Quod autem ad allatas partim vulgi partim doctorum sententias attinet, neque memet incolis per omnia assentiri posse fateor, neque vero viris doctis.

Nam incolas quidem utpote simplices ac credulos plura referre facile posse quæ vera sunt, vel ex eo liquet quæ de hujus animalis vel subterraneis fossis vel cornubus mobilibus supra attulimus. Doctorum vero de elephantinis ossibus per diluvium huc allatis scita non probabilia esse vel inde constat, quod quomodo per tot terrarum tractus præcise in unum hunc deferri & colligi locum debuerint, non facile appareat. Eodemque modo demonstrari difficulter poterit cum exercitu quodam & per bellicam expeditionem in hæc ad septentrionem remotas regiones elephantos fuisse adductos, ubi vel solo frigore enecari debuerint. Superinjectæ præterea terræ pondus utpote varium, non ubique similem eandemque hisce ossibus, quam hodie habent discrepantiam ab elephantinis, imprimere potuit. Sed nec impedit quin pro cornubus hæc ossa haberi possint, licet a cornuum  
cervo-

cervorum, alcium, rangiferorumque natura, discrepent; nam & hæcce inter se ossa discrepant duritie, & a cornubus boum, caprarum, vervecum differunt in multis; ut adeo hæcce ossa fossilia, licet duriora solidioraque prædictis, tamen hisce qualitatibus non obstantibus, cornua esse possint. Interim etiam in hisce ossibus cavitas spectabilis docere videtur, illa in cornuum potius numero habenda esse, quam dentium, partesque animalis fuisse ab elephanto diversas.

Praeterea & os illud oblongum & spongiosum, cujus supra mentionem feci, & memet habuisse dixi, quanquam præcise affirmari nequeat, id spectasse ad hæcce cornua; tamen id saltem liquido evincit, dari quoddam in orbe terrarum animal, vel fuisse olim, ingentibus cornubus præditum, & grandioribus quam imaginari nobis poterimus, vel oculis saltem nostris adhuc usurpavimus.

Qui hoc animal idem esse cum illo quod Behemoth dicitur, volunt, in primis ad versionem S. Scripturæ Chaldaicam respiciunt, ubi expresse de mobilibus cornubus verba sonant. Sed tamen nec inde difficultates omnes solvantur. Ut enim nullum ultra dubium supersit, quin hæcce ossa cornua sint, idque abunde probet tum os illud spongiosum supra allatum & insercionis cornuum vestigia in calvaria; tamen ut os illud sit mobile, nullo alio modo fieri potest, quam ut simul cum capite moveatur. Concludo itaque, quamdiu nemo visum a sese hoc animal asseverare potest, plurima ut hic dubia supersint necesse esse, tempori utique & uberius observationibus relinquenda. Stockholmæ d. 12. Maji 1725.

BASILIVS TATISCHOW

Cæsareæ Majestatis Russicæ Consiliarius in Collegio  
Metallico & Supremus Director Mi-  
nerarum Siberiæ,



